

**Viro nobilissimo doctissimoque, amico honoratissimo Davidi Christophoro Schobingero ... summos in medicina honores D. XVIII. Maii MDCCXLVIII. collatos gratulaturus quaedam de causa a pastu oriundae somnolentiae / disserit Daniel Langhans.**

### **Contributors**

Langhans, Daniel, 1730-1813.

Schobinger, David Christoph, 1726-1792.

### **Publication/Creation**

Gottingae : Typis Abrami Vandenhoeck, acad. typogr, [1748]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g4xmu5u3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

4

V I R O  
NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE,  
AMICO HONORATISSIMO  
DAVIDI CHRISTOPHORO  
SCHOBINGERO

ST. GALLO - HELVETO

SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
D. XVIII. MAII MDCCXLVIII. COLLATOS

GRATVLATVRVS

QVAEDAM

DE CAUSA A PASTV ORIVNDAE SOMNOLENTIAE

DISSEKIT

DANIEL LANGHANS

HELVETO-BERNAS.



GOTTINGAE

TYPIS ABRAMI VANDENHOECK  
ACAD. TYPOGR.

W. R. O.

COMMISSIONER OF THE  
LAND OFFICE

DANIEL CHARNOCK  
SCHORLBERG

GRANT  
D. CHARNOCK

DE GRANT  
D. CHARNOCK

DANIEL LANGHAM



BY APPOINTMENT  
TO HIS MAJESTY



AMICE HONORATISSIME AESTIMA-  
TISSIMEQVE!

**Q**uotiescunque praeteritum respicio tempus, quo tecum, AMICE SUAVISSIME, per duos circiter annos in hac Musarum illustri sede, summa certe cum tranquillitate vitam egi, nil plane jucundum, nil optatum, nilque denique salutare mihi vnquam contigisse video, quin id semper tua ex amicitia, omnium gratissima, magna omnino ex parte simul mihi fuerit profectum. Et haec omnia, licet per se jam maxima, longe tamen majora esse videntur, quoties in considerata & admiranda tua humanitate, praeter hanc, nullam aliam invenio causam, quae ad amorem tuum in me commoverit animum, quem mihi tot documentis demonstrasti. Quare etiam, omni tempore, tanta harum rerum in me erit recordatio, ut non nisi cum extremo vitae meae halitu, de-

structo hoc amicitiae nostrae arctissimo vinculo, mens mea ea, qua par est, pietate Te amplecti & amare cessatura sit. Igitur & hodie non possum non, de collatis tibi Honoribus Doctoris, ex amico pectore Tibi gratulari, Te tamen, si ita placuerit, antea de quibusdam adhuc aliis occupaturus, ne forte sola verbosiori gratulatione Tibi sim taedio. Noli tamen, AMICE SUAVISSIME, talia hic a me expectare, quae vel novi quid Tibi adferre, vel eruditioni & experientiae tuae multum inservire unquam possint. Unice ergo illam paucis examinare mihi liceat controversiam, quae, ratione A PASTU ORIUNDAE SOMNOLENTIAE, jam dudum inter Auctores, veteres & recentiores, agitata fuit. Putarunt plerique, hodierni quoque, CELEBERRIMI VIRI, ventriculum nostrum, cibus distentum, magnam inducere pressionem subjacenti arteriae aortae, unde sanguine deorsum debita quantitate fluere impedito, major necessario fieret sanguinis adfluxus in cerebrum, inde vero denique impediri spirituum animalium secretionem, ob compressos nunc nervorum & tenerrimae cerebri substantiae canales: hujus rei veritatem autem, ut eo probabiliorem certiolemque adhuc reddant, variis speciosisque defendunt eam argumentis. Ajunt nimirum, apparere post captum cibum ubicunque in collo, facie, & reliquo toto capite, ruborem haud exiguum, & praeternaturalem quendam sentiri calorem, quae quidem omnia ante cibum sumtum non ita exstiterint. Adjiciunt porro, plenissimum semper esse abdomen, ut nullum plane in eo reperiat spatium, quod novam aliquam materiam, ut e. gr. ventriculi cavitas cibos deglutitos, diu suscipere posset, quin perpetuo maxima illa abdominis vasa, ut

v. g. arteriam caeliacam, arteriam mesentericam superiorem, arterias emulgentes, arteriam mesentericam inferiorem, & ipsam denique aortae divisionem in iliacas, aut ex his truncis oriundos infinitos fere ramos, comprimat; talem ergo pressionem praesertim digestionis tempore a distento ventriculo in aortam fieri, & reliquas vicinas arterias, multi Celeberrimi Viri adferre non dubitarunt. Sane haec sententia, quae probabilitate reliquas mox enarrandas multum superat, omnium optime nostris etiam temporibus admitti posset, nisi hodierna, perfectior longe, partium corporis humani cognitio paulo accuratius nobis mutabilem ventriculi situm describeret, & aliorum Maximorum Virorum ingenium perspicacissimum ad reliqua simul magis esset attentum.

Ut ideo eo melius intelligi queat, quomodo, in plenissimo abdomine, cibo distentus ventriculus nullam, vel levissimam saltem, pressionem in subjacentem arteriam aortam exerceat: nunquam situs vacui hujus visceris cum altero est confundendus, qui ab ingestis cibis oriri solet; nam certum est, vacuum ventriculum satis lata superficie aortae incumbere ad dexteriora ingredientis oesophagi, & curvaturam ejus minorem magis esse superiorem, alteram autem tunc magis inferiorem. Sed in hoc situ non manet ventriculus, quando cibus distentus digestionis inservire debet, quo casu pedetentim ab adveniente ciborum copia & mole in fundum illabente elevatus, & ex priori situ quasi detortus, curvaturam magnam antrorsum, quae antea inferior fuerat, & minorem retrorsum aortae & vertebrarum corporibus ob-

vertit. *a)* In hoc nunc pleni ventriculi situ, jacet arteria aorta ab omni ejus pressione libera, ab ipsa notabili illa decussatione vltimarum diaphragmatis appendicum, sub oesophago, *b)* simul defensa. Quis igitur tam facile crederet, eam inter tot naturae praesidia & munimenta vllam pati injuriam! ab incumbente & a cibis distento ventriculo; si quid tamen hic forte timendum adhuc esset, quod quidem probabile vix videtur, id auferri facillime potest, si ingentem & summam cordis & arteriarum vim consideraverimus, qua sanguis per infinitas vasorum flexiones satis magna cum celeritate propellitur. De hac re certe optima mihi hic foret dicendi occasio, si tot Clar. Virorum exempla de motu & celeritate sanguinis, & varios eorum proferrem calculos, ex quibus jam abunde constat, quanta vi cor sanguinem ex suis cavis in arterias ejiciat: de his vide HALESII, SAUVAGE, KEILII &c. experimenta. Nemini dubium videtur, omnem ventriculi pressionem, si quaedam adesset, ea cordis vi facile superari posse, qua quietus jam sanguis, in hominibus diu aquae submersis, iterum ad priorem reducitur celeritatem & motum: exemplum ejusmodi hominis, per dimidium circiter diem aquae submersi, ex ipso ore ILL. HALLERI, in Mercurio Helvetico fusius recensitum, memini me relatum accepisse, in quo nec vlla respiratio, nec pulsus cordis & arteriarum, nec vllum

*a)* Vid. WINSLOWI Exposition anatomique, Tr. du Bas Ventre. pag. 20. §. 46. & 50. LIEVTAUD. p. 266.

*b)* Has appendices MAGNVS PRAECEPTOR summa pietate & reverentia aeternum mihi colendus, in iconibus suis depingere curavit. vid. Ic. 1. Fig. 1. litt. t. u. w.

lum aliud vitae signum superstes fuerat, ut ab ipsis adstantibus pro mortuo esset proclamatus, qui quidem brevi pristinam recuperavit vitam, solo spiritu salis armoniaci naribus ejus admoto. Hac nunc cordis ingenti vi, quae sola ultra quinquaginta libras stagnantis sanguinis, lymphae, feri, & reliquorum liquidorum nostrorum, per angustissimos incipit movere canales, facillimo etiam modo tam parva tam exigua ventriculi & reliquorum incumbentium viscerum pressio superatur. Ita, nihil quidquam aorta patitur ab incumbente pulmonis vi.

Calorem autem in capite & ruborem, & quae reliqua utique a pastu observantur phaenomena, ad resorb-tas ciborum particulas varias merito referimus, quae crudae, & ad obeundam circulationem nondum subactae in minimis vasis cerebri moram faciunt; unde ea omnia majora fiunt, quoties ii cibi lenti, difficiles, spirituosissimi, quocumque demum modo ad sanguinis expeditum motum inepti fuerint. Neque ea phaenomena in omnibus, ut in me ipso & aliis aliquoties vidi, semper adsunt, & ni fallor, nunquam, nisi in illis, qui ventriculum ultra capacitatem suam magna ciborum copia distendunt. Sed, ab omni pastu, in inferioribus partibus, uti e. gr. in ipso abdomine, longe major ubique sentitur calor, & manifesta signa sunt sanguinis ad inferiores, pelvique contentas partes vehementer delati, quae satis demonstrant, quam parum nobis a ventriculi pressione in aortam timendum sit.



Docet & ipsa Anatomie comparativa, multa ejus-  
 modi reperiri animalia, non solum in alienis, sed in  
 nostris passim regionibus, quibus a sapientissima natu-  
 ra vel nullum plane datum fuit cerebrum, vel id sal-  
 tem paucissimum, & tamen frequentissime post pastum  
 inevitabili corripit ea somno. Horum animalium haud  
 parvus numerus ab Autoribus, omni fide dignissimis,  
 variis in itineribus, describitur: valet praesertim haec  
 observatio in toto serpentum genere, in crocodilis &c.  
 His omnibus pene nullum est cerebrum, & respectu  
 magnitudinis reliqui corporis, nullius momenti. Haec  
 dum ita sese habent, ut nemo facile dubitare potest,  
 cur & haec animalia a pastu evadunt somnolenta? hu-  
 jus rei causa, ut manifeste patet, nec compressio est cerebri  
 ab aucta sanguinis copia, nec impedita spirituum ani-  
 malium secretio. Quid autem in causa sit, infra abun-  
 de videbimus.

Nec silentio praetereunda sententia, qua THOMAS  
 MORGANVS, RICHARDVS MEAD, Angli, & qui reliqui  
 sunt, ad demonstrandam veram hujus somnolentiae  
 causam, utuntur: credunt nimirum Clari hi Viri, eam  
 proficisci a summa illa animae delectatione, quam  
 sufficiens ciborum copia primo conciliavit corpori,  
 sublato nempe & remoto nunc omni ingrato famis sen-  
 su, quo in statu, nunc existimant, animam nostram  
 eadem frui tranquillitate, qua illi, qui, longo ex tempo-  
 re inter ingentes dolores cruciati, pristinam iterum ac-  
 ceperunt sanitatem, uti v. gr. calculo renum affecti  
 per felicem sectionem, vel febre acuta laborantes  
 per largam sanguinis missionem & quae reliqua hujus  
 sunt

sunt generis. Verum haud nego, ex fame diu durante doloris quandam & incommodi speciem vacuo supervenire ventriculo, & ad dormiendum nos minus evadere aptos, nam sensiles illae plicae & copiosi nervi, vix vlla membrana vel firmo satis involucro tecti, & inter se mutuo continuo tam diaphragmatis quam peristaltico motu fricati, omnino & corpori & animae ingrati quid conciliant: c) hanc rem ita sese habere voluit sapientissimus CREATOR, vt homines ad capiendum cibum, & corpus nutriendum, dolorifica quadam admonerentur irritatione.

Quamdiu nunc talis frictio in ventriculo nostro contingit, tamdiu, vt lubenter concedimus, nec vlla somni spes, vel animae delectatio, nobis erit exspectanda; cessante autem doloris causa, ope ingestorum ciborum, & inter sensibilia ventriculi latera receptorum, brevi ille apparebit status quietis amatae, non tam corpori quam animae jucundus & gratus. Sed quam ob causam illis etiam incidit somnus a pastu, qui plane nullo doloris sensu vel incommodo, sed solo aspectu optimorum ciborum, & consuetudine magis commoti cibos capiunt? Ob ablationem fortassis status illius dolorifici, qui antea in his hominibus plane nullus fuerat, & ob majorem quietem animae conciliatam? minime. Nam nemo, inter mille nostri similes homines, famis dolorem exspectat, sed omnes quieti fere & nullum sentien-

c) vid. ILL. PRAECEPTORIS aeternum colendi, Compendium  
Physiol. Cap. XXI. II. 582.

tientes incommodum cibis vescuntur, vt hoc modo vnice receptae huic consuetudini satisfaciant.

An hic porro aliquid ab animi voluntate, vt STAHLIVS, & qui ejus stant a partibus, asserunt, iusta ratione expectandum sit, paucis adhuc videbimus. Demonstrat STAHLIVS, animam nostram, quae in administrandis & dirigendis omnibus corporis actionibus semper summe, secundum ejus opinionem, attendita est, nunquam tamen majori vigilare cura, quam ipso digestionis tempore, vt, arcendo spirituum animalium influxum in reliquas partes, absque impedimento & mora chylum ex cibis parare & corpus eo melius nutrire possit; quae minus bene tum evenirent, si anima nostra de hac vel illa re simul sibi esset conscia.

Sequitur ergo, secundum hanc STAHLII sententiam, illa tantum corpora nutriri, quae a captis cibis oriundae somnolentiae perpetuo indulgent, reliqua autem, quae in hoc casu hanc animae nostrae bonitatem aspernunt, vel peritura, vel in imperfecto saltem statu mansura esse. Sed procul abest, vt sapienti animae tanta vnquam a CREATORE data sit potestas, qua hanc vel illam in corpore actionem naturalem, vt exempli gratia sanguinis circulationem, aut motum peristalticum, aut liberam spirituum animalium secretionem, aut ipsam ventriculi actionem, in coquendis & subigendis cibis, vlllo modo immediate sua voluntate mutare possit. Quanta illis imminerent semper mala, qui continua tot laborum serie, vigiliisque vitam suam sustentare coacti sunt, si quid veritatis, vel probabilitatis tantum, huic inesset senten-

sententiae, quam ipsa non solum veritas physiologica, sed moralis etiam necessitas hic non admittit.

Enarratis jam variis his & inter se plane diversis sententiis, videre tandem nobis liceat, quid a nostra sperandum & credendum sit. Sine dubio scilicet hujus somnolentiae causa nulla est alia, quam stimulus totque nervorum ventriculi irritatio ab ingesta ciborum mole, hinc confluxus humorum omnium ad sedem irritationis, facta exinde spirituum etiam animalium in cerebro penuria. Haec ratio, etsi omnium sit simplicissima, magis tamen cum veritate & natura hujus phaenomeni videtur congruere, quam reliquae omnes supra memoratae sententiae.

Maximi ventriculi nervi, quos aliquoties in solidissimis perfectissimisque MAGNI HALLERI demonstrationibus, propriis meis vidi oculis, originem suam ducunt a duobus plexibus trunci octavi paris: descendit hic truncus infra pulmonales ramos asperae arteriae, ubi in dictos duos dividitur plexus, quorum dexter sive anterior multis ramis oesophago & anteriori ventriculi curvaturae prospicit, alter autem sive posterior, & major priori, curvaturae minori & pyloro suos dat ramos; d) hi nervi inter se constituunt plexum illum stomachicum, toti superiori stomachi orificio circumductum. Eorum furculi perforant ubicunque

tene-

d) vid. EVSTACHII Tab. XVIII. MAGNI PRAECEPTORIS Comp.

Physiol. pag. 341. §. 628.

teneras ventriculi membranas, & interpositas tunicas cellulosas, vt plurimi tantum villosa tegantur tunica; sic summam etiam huic visceri conciliant sensibilitatem, vt a quacunque fere materia vehemens in eo oriatur irritatio. Quando nunc in aliqua particula, nervis instructa, irritatio accidit, eo secundum veritatem physiologicam major spirituum animalium & sanguinis adfluxus ibi oboritur. Nulla in corpore humano pars, neque lingua, neque oculus ipse, quae per se iam satis sunt sensibilia, tanta, ac ventriculus noster, gaudet sensibilitate: probant hoc medicamenta varia, vt antimonialia, vitriolica, & arsenicalia, oculis & linguae absque vilo damno vel irritatione magna inspersa, quae vero in ventriculum recepta, vomitus ingentes, nervorum distentiones summas, & saepe, si magna praesertim copia ingesta fuerint, ipsam produxere mortem.

Homo non solum naturali quodam officio corpus nutriendi, sed variis ciborum illecebris & corruptioris gulae luxu commotus, cibos capit; hos partim ex regno animali, partim vegetabili, &, non nisi salia quidem, praesertim media, ex regno minerali eligit, & secundum excultae artis regulas in vsum sibi reddit accommodatiores. Tanta horum ciborum occurrit farrago, vt omnes species iusto ordine enarrare vix possim, sufficit autem nobis id saltem scire, quod omnes nempe quandam possideant irritandi vim, quae, etsi nonnullis levisima, per moram tamen & miscelam cum aliis in ipso ventriculo nostro contentis augeri & mutari potest. Aër ipse huc pertinet, cum cibus in ventriculum

culum delatus, qui certe haud mediocri stimulandi & irritandi vi gaudet. Omnes nempe cibi, vix vlllo excepto, magis sapidi, magis ergo falsi sunt liquore nostro gastrico, nervos ergo ventriculi adficiunt. Hi cibi vel brevi vel paulo longiori temporis intervallo, naturalem suam deponunt indolem, &, vel in acescentem, vel alcaliscentem, vel rancidam, vel in glutinosam aliquam transferuntur materiam, e) & aër fixus secedens de cibis liberatur, atque elaterem recuperat. Ab his nunc causis distenditur ventriculus & nervi tamdiu stimulo titillantur, quamdiu haec inclusa tenetur materia, qui stimulus in medio pastu non maximus, hinc minor somni amor, eo major autem est, quo vberior, flatulentior, aut quo magis alcoholina cibi est indoles, quo major ergo aut irritatio nervorum abrosione, aut major distentio ventriculi, aucta in eo mole. Fit igitur, sub toto hoc digestionis tempore, continuo spirituum & sanguinis major adfluxus in abdomen, f) privatur ergo cerebrum illa sanguinis quantitate & spirituum, quae ad abdomen vergit copiosior, & cum definita sit spirituum copia, iique per vigilias magis dissipentur, quam regenerentur, non sufficiens nunc est copia spirituum agilium ad vigilias & sensuum officia. Necessarium igitur est, adminiculis his immunitis, obrepere somnolentiam. Haec est, ni fallor,

com-

e) BOERHAAV. Institut. Med. pag. 34. §. 76.

f) MAGNVS HALLERVS in Praelect. ad Institut. Boerh. Vol. IV. pag. 516. IOANN. VAN HORNE Microcosm. pag. 28.

communis ratio cur in sano homine aut animale a cibis somnolentia oriatur, & quae eadem est cum ea, quae a pediluviiis, & phoenigmis pedum, imo cum ea denique quae noctu remotis omnibus objectis, peractis laboribus, iis nimirum supervenire solet, qui per diem, inter varias mentis corporisque occupationes, magnam consumserunt spirituum animalium copiam. Vtraque ergo somni species ex vno eodemque oboritur fonte.

Fieri nunc revera digestionis tempore majorem sanguinis & spirituum, derelicto magis cerebro, ad abdominis viscera adfluxum, aliis adhuc argumentis clare satis patet. Hoc docent non solum variae observationes, sed ipsa hujus rei necessitas summa. In cerebro enim & sensibus segnities a cibo obrepit, non major, ut a confluyente sanguine, alacritas, aut vivacitas, sed amor quietis, ad officia vero sensuum, & oculorum maxime, tarditas. Hoc signum est deficientis in cerebro spirituum copiae. Deinde post pastum auctior semper veneris appetitus percipitur, ab ipso nempe abundante sanguine, & forte a novo generato semine tenerrimas sensilissimasque vesiculas irritante. Sed maximam denique sanguinis copiam ad omnia abdominis viscera necessario tunc descendere omnino necesse est, ut liquores illi absque mora generentur, qui digestionis tempore crudo adhuc chylo adfundi, & per intestina faciliorem ad vasa lactea viam parare debent, quales sunt bilis utraque, liquor gastricus, succus pancreaticus & intestinorum. Valde id repugnaret sapientiae Naturae, si eo tempore, quo maxima desideratur eorum liquidorum

copia

copia, averteretur sanguis ab abdomine, & eorum secretio atque adfluxus minueretur. Ex his tandem agnoscimus facile summam naturae sapientiam, quae nolumit, ut sub opere digestionis sanguis in cerebrum magis, quam in inferiores corporis partes, fluat, quod ibi nihil adeo boni produceret, hic autem tantum, ut nulla digestio in ventriculo rite & perfecte fieri, aut corpus nutriri posset, nisi perpetuo, ob majorem sanguinis adfluxum, major etiam liquidorum necessariorum contingeret secretio.

Nemo praeterea ignorat, quod in vigiliis, & saepe penumero etiam in deliriis febrium acutarum, a nimio sanguinis in cerebrum impetu ortis, levi quodam adminiculo aegris somnus concilietur, dummodo sanguinem a cerebro in inferiores partes derivemus, & pediluvii, frictionibus pedum, phoenigmis demum & vesicantibus cito occurramus. Idem contingit in iis, quibus in morbis acutis alvus nimis sicca omnem impedit somnum, si clystere molliente intestina leniter stimulantur, unde sanguis a cerebro ad loca irritata avocatur, & placidus oboritur somnus.

Haec sunt, quae interim ad TE, AMICE SVAVISSIME paucis scribere volui, non ideo dubitans, haec omnia longe melius jam antea Tibi fuisse nota, quam a me nunc descripta sunt. Sane me haud fugit, quanta tui sit ingenii facultas & eruditio in hac nostra latissimi ambitus scientia, de qua non solum persuasus, sed convictus sum, quoties tuam hic considero vivendi rationem, id est, industriam summam, indefessos tuos labores, vigi-  
liasque,



liasque, quibus perpetuo studio incubuisti Medico, quo  
 nec ullae juventutis, aut profectioris jam aetatis, variae  
 delectationes animique recreationes TIBI unquam jucun-  
 diores visae sunt, quae apud tot alios juvenes optimum  
 etiam mutant institutum, & non nisi constantes, mul-  
 tisque virtutibus ornatos, intactos relinquunt animos.  
 Sed quid multa? minime opus esse arbitror, ut de meri-  
 tis tuis nunc quid dicam, ut diligentiam & virtutes  
 tuas, quae nemini ignotae sunt, qui per breve tantum tem-  
 pus tua usus fuerit amicitia, laudibus meis extollam, ut  
 varia eruditionis tuae specimina aliis exponam, quae  
 semet ipsa jam satis unicuique commendant. Gratulor  
 igitur Tibi, AMICE SVAVISSIME, de hodierno honore, de  
 accepta Doctorali Dignitate, qua quisque te semper  
 dignissimum erit existimaturus: gratulor peritissi-  
 mo & in re medica exercitatissimo VIRO, AVUN-  
 CVLO tuo, reliquisque Honoratissimis tuis Cog-  
 natis: gratulor denique & mihi de salutari illa  
 occasione, quae primo Te mihi conciliavit amicum.  
 Servet te DEVS omni tempore salvum & incolumem,  
 feliciterque Te tandem reducat ad jucundos Patriae la-  
 res. Vale Amice Optatissime, & nunquam sis imme-  
 mor fidelissimi tui Langhansii.